



# The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CHINHOIENSIS\*** PRAEFECTURA  
CHINHOIENSIS

**AD DIOECESIS GRADUM ATTOLLITUR** Cum Praefectura Apostolica Chinhoyiensis, in finibus Zimbabuae, divina nempe virtute atque industrio Missionariorum labore haud exigua fidei christiana cepisset incrementa, bene fieri Nobis visum est, Petri successoribus, si eadem circumscrip<sup>tio</sup> in formam dioecesis redigeretur : simul enim per hoc meritam laudem praeconibus Evangelii reddi putamus, simul animum addi omnibus ad novos labores ineundos fructusque laetos metendos : solum enim praedicata christiana religio parit aeternam salutem. Auditis ergo Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione prae<sup>sunt</sup>, aequo animo de apostolica Nostra potestate Praefecturam Chinhoyensem ad dioecesis gradum et dignitatem evehimus, cum iuribus talium Ecclesiarum propriis. Erit autem nova circumscrip<sup>tio</sup> Sedi metropolitanae Hararensi suffraganea, atque iurisdictioni Congregationis de Propaganda Fide obnoxia. Episcopus Chinhoyensis sedem suam in urbe vulgo Chinhoyi collocabit ; cathedram vero sua*e* iurisdictionis in templo Corporis Christi, quod in eadem urbe surgit, factis nempe iuribus cathedralium templorum, sic ut iure Canonico statuitur. Cetera omnia ad leges ecclesiasticas temperentur, ceterum Venerabilis Frater Patricius Coveney, Archiepiscopus tit. Satrianensis, Pro-Nuntius Apostolicus in Zimbabua, vel quem ipse legaverit, has Litteras Nostras in rem ducat, factis nempe facultatibus quae rei expedienda necessariae sint ; atque re confecta documenta exaret atque ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittat. Hae vero Litterae in perpetuum valeant, effectusque habeant. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die duo de tricesima mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quinto, Pontificatus Nostri octavo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

*a publicis Ecclesiae negotiis*

JOSEPHUS Card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Laurus Governatori, *Protonot. Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXVIII (1986), n. 3, pp. 219-220

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana